

non minus videtur repugnare servitus, quam illegitima origo, vel infamia et similia. Nihilominus canones nullam hujus rei rationem habuisse videntur, quia illa conditio, licet vilis appareat, omnino pertinet ad bona vel mala fortunæ, et nullam connexionem habet cum pravis moribus, sicut habet infamia aut defectus natalium. Et ideo per se non censetur afferre indecentiam sacris Ordinibus, si impedimentum non afferat. Hoc ergo solum decreta considerarunt, et ex una parte rationem justitiæ respectu domini, et ex alia religionis causam in ministeriis sacris observari voluerunt. Quæ omnia confirmat optime can. 81 Apostolorum, dicens: *Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus ad eorum, qui possident, molestiam, domorum enim eversionem talia efficiunt; si quando autem dignus servus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, et domini concesserint, ac liberaverint, et domibus emiserint, fiat.* De quo Onesimo dixit Paulus, epist. ad Philem.: *Ut illum reciperes, jam non servum, sed pro servo charissimum fratrem.*

3. *Servitus non inducit irregularitatem nisi quamdiu durat.* — Atque hinc colligitur, servitatem non inducere irregularitatem absolute perpetuam, sed quamdiu durat et dominus non consentit. Hoc aperte constat ex citato canone et ex aliis decretis. Quocirca, quacumque ratione servus redimatur et a servitute liberetur, desinit esse irregularis absque alia dispensatione, quia ablatum est fundamentum hujus irregularitatis, et ex sola præcedenti servitute non relinquitur macula vel indecentia moralis, quæ a lege considerata sit ad irregularitatem inducendam. Dico autem, *ex sola servitute*, quia illam præcise nunc consideramus; solet autem cum illa conjungi recens conversio ad fidem, ex qua nascitur alia neophytorum irregularitas jam tractata, quæ manebit etiam ablata servitute. Rursus durante servitute, potest servus ordinari de licentiâ et voluntate domini, ut constat ex citatis textibus et docent dicti auctores; per talem autem ordinationem manebit ordinatus a servitute liber, ut iidem auctores docent.

4. *Quid si servus ordinetur et postea manumittatur.* — Circa hoc autem dubitari potest, an oporteat manumissionem antecedere ordinationem, vel sufficiat per ordinationem ipso facto fieri. Nam dict. canon. Apostolorum postulare videtur, ut antecedat; et clarius c. Nulli, d. 54: *Nisi prius*, inquit, a pro-

*prius dominis legitimam libertatem consequantur, cujus libertatis charta in ambone publice legatur*, et eodem modo loquuntur alia jura, de Servis non ordinandis. Imo additur in c. Quicumque, d. 54, ex Concilio Toletano IV, cap. 72, alias 73, necessarium esse, ut talis manumissio absoluta præcedat, id est, non retento obsequio a dominis; *nam qui adhuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Ecclesiasticum Ordinem promovendi.* Per quæ verba explicantur illa duo canonis Apostolorum, *liberaverint, domibus emiserint.* In contrarium vero est, quia alia jura et communiter auctores dicunt, si servus ordinetur de licentiâ domini, manere liberum; ergo necesse non est, ut manumissio antecedat. Alioqui sequeretur, facta prius manumissione, quamvis postea non sequeretur ordinatio, servum manere liberum, quod esset in fraudem domini. Respondeo, quæstionem non esse magni momenti. Ut enim res licite et legitime fiat, necesse est, ut expressa manumissio aliquo modo antecedat, quia ita jura disponunt, et ad tollendas fraudes et lites ita expedit. Non oportet autem, ut illa manumissio sit absoluta, ita ut effectum habeat ante ordinationem, sed conditionata, ita ut in ipsa ordinatione suum incipiat habere effectum. Et ita utrumque verum est, et manumissionem debere antecedere, et libertatem per Ordinem ipso facto comparari.

5. Ulterius vero addendum est, ad consequendam libertatem per ordinationem sufficere qualemcumque licentiâ domini, etiam tacitam. Quod docent citati auctores et est satis expressum, dist. 64, in cap. *Si servus sciente et non contradicente domino, in clerum fuit ordinatus, ex hoc ipso, quod constitutus est liber, et ingenuus erit.* Ex quibus verbis facile explicatur aliud, quod hic interrogari poterat, de qua, scilicet, ordinatione hoc intelligendum sit, an de sacra, vel quælibet minor sufficiat. Dicendum est enim, quamlibet sufficere, etiam primam tonsuram; hanc enim vim habent illa verba: *In clerum fuerit ordinatus seu constitutus, et statim declaratur;* nam per primam tonsuram unusquisque in clero constituitur. Et ratio est, quia ex tunc talis persona dicatur et consecratur divinis obsequiis, et ideo accedente voluntate domini, jus vel interpretatur, vel efficit, ut per eam libertas concedatur, quia res Deo dicata non debet humanis servitiis manere mancipata, juxta reg. *Semel*, de Regul. jur., in 6.

6. *An manumissio debeat esse omnino libera.*

— Occurrit autem ulterius inquirendum, an oporteat hanc manumissionem esse liberam omnino, ut insinuat in dict. c. Quicumque, vel sufficiat facta sub onere alicujus servitii, vel officii domino impendendi. Sunt enim in hoc diversæ opiniones, ut refert Turrecrem. ibi. Nam quidam propter illum textum putant necessariam esse manumissionem ita absolutam, ut non possit dominus sibi reservare aliquod obsequium, vel spirituale, vel corporale, vel positivum faciendi hoc aut illud, vel negativum non faciendi, v. gr., non accusandi, non damnificandi ipsum dominum, etc. Alii vero putant posse dominum reservare obsequium saltem spirituale, et corporale negativum, id est, manumittere servum sub ea conditione, ut post ordinationem obligatus maneat, vel ad cantandum, vel ministrandum in sua capella, vel ad non inferendum sibi aliquod nocumentum, vel aliquid simile. Hoc enim videtur supponi clare in cap. Nullus, de Servis non ordin., ubi dicitur, *Si quis servum suum libertate donatum, fecerit presbyterum ordinari, et ille postea in superbiam elatus, domino suo canonicas horas psallere noluerit, apud Episcopum accusatum degradari debere.* Quod profecto non præciperetur propter solam ingratitude; supponitur ergo casus, in quo ex justitia talis obligatio maneat. Unde Glossa et ibi Doctores ex eo textu colligunt, posse dominum imponere spirituales operas servo, quem ad Ordines manumittit. Imo multi etiam addunt, quamvis hæc conditio non exprimat, ex ipsa declaratione juris subintelligi et relinqui hanc obligationem saltem ad spirituales operas. Hac tamen interveniente differentia, quod quando deducitur in pactum, potest illa etiam penalis conditio adjungi, ut si obligationem non impleverit, post degradationem in servitatem redigatur; si autem hoc non sit in pactum deductum, licet puniri possit propter ingratitude, non tamen in servitatem reduci. Ita fere Panorm. ibi.

7. *Secunda opinio.* — Alii distinctione utuntur inter servos Ecclesiæ et privatarum personarum; nam priores etiam si manumittantur et ordinentur, obligati manent ipso jure ad honesta Ecclesiæ servitia, non solum spiritualia, sed etiam circa alia negotia, quæ clericum non dedecent; quæ si facere renuerint, in servitatem rediguntur, juxta c. Diaconi, 12, quæst. 2, et cap. Qui ex familiis, dist. 54, ubi Glossa id advertit. Respectu vero particularium dominorum non manet

tam gravis obligatio, nec sub tam gravi conditione, ut colligitur ex dict. cap. Quicumque, et ex cap. ult. ibid. Nam hac ratione liberti prohibebantur ordinari viventibus et invitis dominis, quia semper manebant illis ita obnoxii, ut si quidpiam contra patronum committerent, in eorum servitatem redigerentur, juxta civilia jura. Potestque congrua ratio differentiæ reddi; nam respectu Ecclesiæ nulla indecentia est, quod clericus obnoxius maneat ad quælibet officia præstanda, quæ alias non sunt indecentia statui clericali, quia illa omnia obsequia Ecclesiæ præstita quodammodo spiritualia sunt. Secus vero est, quando talis obligatio manet respectu privatae personæ, quia magis repugnat privilegio clericali, juxta cap. 4, dist. 54, minusque decet, factum clericum, servum fieri privatae personæ, quam Ecclesiæ. De qua re legi possunt plura apud Maiol., lib. 4, cap. 36; ad praxim enim non est admodum necessaria vel utilis

8. *Resolutio.* — Existimo ergo manumissionem, quæ ad Ordines fit, si absolute et simpliciter fiat, nullam includere conditionem, saltem sub obligatione justitiæ. Hoc enim mihi probat dict. cap. Quicumque, cum cap. 1 et 2, dist. 54, et cap. 4 de Servis non ordin. Imo in cap. Eo libentius, eodem titulo, hoc extenditur ad servos ab Ecclesiis manumissos. Nihilominus tamen non repugnat in ipsa manumissione conditionem apponi statui clericali non repugnantem, qualis de operibus spiritualibus, vel etiam de officiis privatis, seu potius de non præstandis officiis justitiæ aut gratitudini repugnantibus. Ita Turrecrem. supra, cum aliis ex dict. cap. Nullus, et argument. cap. 2 de Condit. apposit. Qui etiam docent, ad hoc non esse necessarium Episcopi consensum, quia nullo in jure postulatur. Quod etiam tenet Abbas in dict. cap. Nullus.

9. Hinc mihi probabilius est, quodcumque dominus facit facultatem servo suscipiendi Ordines, sive expressam, sive tacitam, manumissionem esse absolutam ex vi ipsius ordinationis, quia nulla conditio apposta est. Unde a fortiori fit, quod quamvis libertus etiam sit irregularis juxta dict. cap. ultim., dist. 54, quia quodammodo et quasi ex parte retinet servitatem juxta proprietatem juris civilis, si tamen sciente patrono et consentiente, ordinetur, ex tunc desinere esse libertum quoad viles conditiones et obligationes ejus, et incipere esse absolute liberatum seu manumissum, quod plane sequitur ex priori



resolutione, quia illa facultas censetur esse talis, ut omnino auferat fundamentum hujus irregularitatis. Hoc tamen non impedit, quominus hujusmodi clericus ex gratitudine teneatur debita obsequia honoris et reverentiæ manumissori exhibere. Non tamen opinor, propter solam ingratitude, nisi injuriam etiam includat, posse tam graviter puniri, ut degradetur vel deponatur. Sed hoc magis ad Jurisperitos pertinet.

40. *Dubitatio.* — *Prima conclusio.* — *Secunda conclusio.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Sed quid, si servus, non obstante irregularitate, inscio domino ordinetur. Respondeo in primis, illum manere ordinatum, quia servitus non est incapacitas, sed propria irregularitas. Deinde, si tantum sit ordinatus minoribus Ordinibus, nullo modo a servitute liberatur, nec simpliciter, nec sub conditione aliqua. Ita docent omnes et sumitur ex c. 2 de Servis non ordin., in quo absolute sermo est de Ordinibus seu gradibus Ecclesiasticis. Tamen saltem quoad Ordines minores absolute et sine ulla restrictione ab omnibus intelligitur, quia quoad hanc partem nullo alio jure restringitur, et idem probat c. 2, d. 54. Potest tamen objici, quia res semel consecrata Deo, etiamsi injuste et contra voluntatem domini consecrata sit, non debet domino restitui, juxta sententiam Gregorii in cap. Comperimus, 14, quæst. 6, et reg. *Semel Deo*, de Reg. juris, in 6. Respondetur primo, dicta jura loqui de rebus inanimatis, in quibus non est dolus, et alias possunt facile compensari; in homine vero, qui ordinatur, est fraus, quæ non debet illi patrocinari, quoad fieri possit. Item in re inanimata consecratio est mere materialis et superficialis (ut aiunt Juristæ); consecratio vero, quæ fit per ordinationem, magis est in anima. Ita fere Sylvest., verb. *Servitus*, num. 6, in fine, et Gloss., in dict. cap. Comperimus, et in cap. Frequens, d. 54. Adde insuper, consecrationem quæ per ordinationem fit, non consummari perfecte usque ad sacerdotium et in solis minoribus esse valde imperfectam, adeo ut clerici in minoribus constituti facile ad secularia negotia transferantur, et ideo etiam in hoc casu facile propter injustitiam lex canonica hoc permisit.

41. *Tertia conclusio.* — *Dubium.* — *Resolvitur.* — Tertio si usque ad diaconatum, vel supra ordinetur cum scientia Episcopi ordinantis, liber efficitur; tenetur autem Episcopus cum domino duplici satisfactione compensare, juxta c. Si servus absente, d. 54, ubi

id Glossa notat, et Panomit., in cap. 2 de Servis non ordin. Et idem sumitur ex cap. Per venerabilem, vers. *Præterea*, Qui filii sint legitimi. De subdiaconatu vero res videri potest dubia, quia in prædicto cap. Si servus, solum diaconi, et presbyteri mentio fit; et ideo in lib. 6, tit. 22, partita 4, dicitur, etiam servum ordinatum usque ad subdiaconatum, inscio domino, posse a domino in servitute revocari; nam eodem modo censet illa lex de subdiacono, quo de minoribus Ordinibus. Quod fortasse procedere poterat jure antiquo, quando subdiaconatus non reputabatur Ordo sacer, quia non habebat votum continentię annexum, nec reddebat hominem ad matrimonium inhabilem. Favebatque cap. Ex antiquis, dist. 54, ibi: *Reliqua vero officia*, nam sub hac universalitate subdiaconatus comprehendebatur. Nunc vero subdiaconatus est sacer Ordo, ideoque quoad hoc æquiparatur nunc diaconatu, ut expresse disponit Alexander III, in cap. Miramur, de Servis non ordin. Quæret vero aliquis, quando ordinatio tantum est in minoribus, an obligatio reddendi duplicem satisfactionem domino, id est, duos servos æquales, vel duplicatum pretium, sit in conscientia, et justitia. Videtur enim ex vi justitiæ satis esse reddere æquivalens, reliquum autem pertinere ad pœnam per legem impositam, quæ non obligat, donec per judicis sententiam quis condemnatur, et eam pœnam solvere cogatur. Et ideo in dict. c. Per venerabilem, solum dicitur ordinatorem teneri domino satisfacere. Respondetur nihilominus, teneri Episcopum ex vi prædictæ legis absque alia sententia condemnatoria ad reddendum duplicatum pretium pro servo, neque aliter illum liberari a servitute, nec dominum teneri, aut cogi posse ad dimittendum servum, nisi adimpleta illa conditione. Et ratio est, quia ita per legem dispositum est. Unde sicut ex vi illius legis dominus cogitur dimittere servum, etiam si contra justitiam, et voluntatem ejus ordinatus sit, ita etiam conditio a lege posita in favorem ejus implenda est, alias non potest legitime compelli. Unde sumitur etiam congruentia illius legis, quæ non est quoad hanc partem mere pœnalis, sed in rerum æquitate fundata; nam dominus in eo casu non solum amittit servum, sed etiam obligatur per actionem injuriosam ad redimendum illum, quæ obligatio virtute quidem legis juste fit in favorem religionis et Ordinis sacri; tamen quia hæc obligatio etiam est pretio æstimabilis,

voluit lex etiam illam compensari, quod fit pretio duplicato soluto; cap. ergo Per venerabilem, intelligendum est de satisfactione per legem statuta.

42. *Quarta conclusio.* — *Interrogationi fit satis.* — Quarto, si Episcopus ignorans conditionem servitutis servum in sacris ordinet, tenebuntur ad eam satisfactionem faciendam, qui eum ad ordinationem induxerunt, vel rogando, vel falsum testimonium ferendo. Ita disponitur in dicto cap. Si servus absente, quia jura maxime detestantur hanc injuriam quæ dominis fit, abstrahendo servos a debito opere persolvendo. Et ideo in Concilio Granatens., cap. 3, anathemate feriuntur, qui prætextu religionis hoc crimen committunt. Sed quid, si etiam illi non sint in culpa, sed bona fide et cum ignorantia probabili id fecerint? Respondetur, in eo casu ipsummet servum ordinatum teneri ad eandem satisfactionem faciendam, vel saltem ad reddendum per se vicarium, ut dicitur in c. Ex antiquis, d. 54. Quod si nec talem satisfactionem facere possit, in hoc jura distinguunt inter presbyterum, et inferiores. Nam diaconus vel subdiaconus in eo casu rediguntur in servitute, ut dicitur in dicto cap. Ex antiquis, et tacite confirmatur in dicto cap. Miramur, de Servis non ordin., et docent Panormitanus, et alii in cap. 2, de Servis non ordin.; et Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 6, § 6; Navarr., Sylvest., Maiol., et alii locis citatis. Et hoc modo intelligendum est dictum cap. 2 de Servis non ordin., et c. De servorum, dist. 54. Et ratio est, quia talis servus supponitur per dolum et fraudem injuriam facere domino; et, ideo licet in favorem Ordinis ei concedatur, ut satisfactione facta redimi possit, tamen sine tali satisfactione hoc jura non concesserunt, quia cum nondum ad sacra ipsa mysteria peragenda ordinatus sit, non est adeo necessaria ingenuitas seu libertas talis personæ, ut non obstante injuria et gravi nocumento domini, concedenda fuerit. Oportet autem, ut dominus intra annum, postquam sciverit ordinationem servi, illum repetat, et ex c. Si servus sciente, dist. 54, Glossa ibi, et Innocentio, in cap. 2, de Servis non ordin., n. 5, et aliis citatis. Nam si post scientiam per annum dissimulaverit, censetur consentire, et servum manumittere. Quo fit, ut servus sic ordinatus irregularis maneat ad usum talium Ordinum, idonec vel domino satisfactum sit, vel ipse dominus consensum suum præbeat, aut expresse, aut per scientiam et tolerantiam

unius anni. Et quando talis clericus in servitute redigitur, non solum manet privatus usu Ordinum, sed etiam exutus privilegio clericali, ut aperto dicitur in dicto cap. Ex antiquis, et ibidem Glossa advertit. At vero, si talis servus ordinatus sit sacerdos, non reducitur in servitute, etiamsi domino integra satisfactio fieri non possit; sed solum cogitur amittere peculium suum, et domino reddere, utin dicto cap. Ex antiquis, habetur. Quod si peculium non habuerit, satisfacet, si in proprio sacerdotali ministerio, domino suo ministret aut celebret; et ad hoc poterit obligari, juxta cap. Frequens, dist. 54. Quod factum est, tum in reverentiam sacerdotii; tum etiam quia illud ministerium est altius et utilius domino, et ideo in re ipsa non graviter læditur, quamvis propter excellentiam ministerii id non fiat per modum compensationis, quia res temporalis non potest per spiritualem redimi.

43. Ultimo dubitari in hoc poterat, de quibus servis intelligenda sit hæc irregularitas. Sunt enim quidam servi propriissime dicti, alii vero sunt servi adscriptitii, vel originarii, aut conventionales, prout late distinguit et declarat Hostiensis in Summa, tit. de Natis ex ventre libero; Sylvester, verb. *Servitus*, et Maiolus, lib. 4, cap. 35. Quia vero hi varii modi servitutum jam vere in usu non sunt, ideo in eis declarandis et distinguendis immorari non est necesse. Et regula generalis sit, omnem servitute, undecumque trahat vel nomen, vel originem, inducere hanc irregularitatem. Ita enim expresse definit Leo Papa, ep. 4, c. 4, et Gelasius, ep. 4, c. 46, et habetur in c. Generalis, et c. Admittuntur, d. 54, ubi expressa mentio fit de servis originariis et similibus, et notat Glossa in c. 2 de Judæis, quamvis in illo textu hujusmodi originarii seu coloni servi liberi dicantur. Quod veniendum est de his colonis, qui non trahunt obligationem culturæ ex servili origine et pacto suorum prædecessorum cum dominis, de quibus in l. Originarius, et l. Colonos, cum similibus, C. de Agriculis et cens., l. 11, vel intelligitur de libertate quoad alios actus, non vero quoad ordinationem, ut ibi Glossa declarat. Adde denique, quod licet interdum hæc obligatio non sufficiat ad servitute inducendam, et consequenter neque ad irregularitatem, de qua agimus, sufficit tamen ad aliam, de qua in sequenti puncto dicemus.



*De irregularitate ex obligatione ad ratiocinia.*

44. *Conclusio.* — Secundo igitur incurritur irregularitas ex defectu propriæ libertatis, provenientis ex obligatione ad actiones humanas et politicas exercendas. Qui defectus in jure appellatur obligatio ad ratiocinia, juxta Rubricam de Obligatis ad ratiocinia non ordin. Est ergo certum hanc obligationem ad ratiocinia inducere irregularitatem, ex cap. unic., in dict. tit., et d. 54, cap. 3. Est enim illa obligatio vinculum quoddam temporale reddens hominem valde impeditum ad Ecclesiastica ministeria, et ideo merito a jure reputatum est sufficiens ad removendum hominem ab ordinatione. Atque ita docent Theologi, in 4, dist. 25. Ubi D. Thom., quæst. 2, art. 2, quæst. 1, cum de servis dixisset, subdit tantum hæc verba: *Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, et hujusmodi personæ.* Latius id tractant Jurisperiti super dicta jura; Summistæ, verb. *Ratiocinium*, et verb. *Ordo*, et verb. *Irregularitas*; Paulus Burgasius, de Irregul., 5 part., tit. de hac re; Maiolus, lib. 2, cap. 5 et 44; Bernard. Diaz, in Pract., c. 20.

45. *Quid intelligatur per hanc obligationem.* — *Duplex obligatio ad hoc ratiocinium.* — Exponendum vero superest primo, quid intelligatur per obligationem ad ratiocinia; nam in dictis textibus non aliter declaratur nisi per exempla, scilicet: *Procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum, seu tutores*, Concilio Carthaginensi I, c. 8. Existimo tamen non esse limitandam rem hanc ad hæc materialia exempla, sed sub illis comprehendi omnes publicas administrationes forenses et temporalium ac secularium rerum, quæ eodem modo implicant hominem negotiis secularibus; nam fundamentum hujus irregularitatis est obligatio ad hæc secularia ministeria. Unde in c. 2 et 3, d. 54, sub generali nomine *Curialium, qui causas agunt vel quibuslibet publicis functionibus occupantur*, hi omnes comprehenduntur. Sunt autem in his personis duæ obligationes distinguendæ. Una est ad tales actiones seu ministeria peragenda, ad quæ obligantur ratione talis muneris, et non durat nisi durante ipso munere. Alia obligatio est ad reddendam rationem peracti muneris, quæ sæpe manet, etiam munere relicto; nam, sicut durante munere, interdum exigitur ab homine ratio eorum, quæ gessit in superiori tempore, ita etiam, quamvis tempus officii absolvatur, vel ipsum

officium voluntarie relinquatur, manere potest obligatio ad rationem reddendam. Quæ ratio interdum redditur de ipsis actionibus, an justæ ferint, etc., interdum vero de pecuniis aut aliis rebus æquivalentibus.

46. *Dubium resolvitur quoad priorem obligationem.* — Quantum spectat ad priorem obligationem, certum est, illa durante, esse hominem irregularem ad Ordines suscipiendos, quod in superioribus tactum est tractando de defectu lenitatis, et habetur d. 54, quatuor primis cap.; Sylvest., verb. *Curiales*, et alii. Statim vero occurrere potest practica difficultas, nam videmus in curiis principum et regum clericos esse ordinarios iudices causarum civilium et huic muneri esse deputatos, nec propterea censi irregulares, vel ad usum Ordinum, vel ad promotionem ad superiores, etiam durante tali munere; et tamen ministerium illud non minus implicat negotiis secularibus quam officium advocati et similia. Respondetur, communiter Doctores excipere ab hac regula consiliarios principum, ut videre licet in Panormitano in cap. Sed nec, Ne clerici vel monachi, et in cap. Clericis, eodem titulo, ubi idem sentit Joan. Andreas; idem Panormit., in cap. Non est, de Voto; Decius, Baldus, quos referunt et sequuntur Bernardus Diaz et Salzedo, in Pract., cap. 64. Cui sententiæ favet etiam lex Hispaniæ, partita 4, tit. 6, l. 48, ubi Gregorius Lopez id advertit, citans ad hoc cap. In Archiepiscopatu, de Raptoribus, ubi Papa Archiepiscopo concedit, quod ex commissione regis possit iudicium in causis temporalibus ferre, extra iudicium sanguinis. Adduci etiam solet cap. Non est, de Voto, ibi: *Consilium et auxilium tuum sibi censerit hactenus profuisse.* Qui textus et similes non videntur convincere, quia aliud esse videtur, esse iudices ordinarios in publico regni tribunali, quod videtur prohibere in cap. Sed nec, et in cap. Clericis, Ne clerici vel monachi, cum similibus; aliud vero adesse regi ad ferendum consilium vel ex commissione ejus vindicare pauperum injurias, quæ permittuntur in dictis capitulis et similibus. Nihilominus usu receptum est, sive ex concessione Pontificum, sive quia consuetudo ita interpretata est ipsa jura, ut clerici absque nota irregularitatis vel alterius impedimenti canonici possint esse consiliarii regum in hujusmodi judiciis seu tribunalibus, in quibus de convenienti regni gubernatione et providentiâ, vel ad summum de civilibus causis agitur. Aut enim hoc mi-

nisterium non est iudicatum adeo repugnans officio clericali, præsertim quando clericus curam animarum, aut aliam specialem obligationem ratione beneficii non habet, vel certe propter commune bonum regni aliquid de rigore juris in hac parte remissum est; ideoque hoc non est extendendum, sed quoad fieri possit, limitandum.

47. Addendum vero est, quando administratio rerum temporalium est circa bona Ecclesiastica, tunc obligationem ad talem administrationem non pertinere ad hanc irregularitatem, quia illa administratio non censetur secularis, sed spiritualis quodammodo et Ecclesiastica, juxta cap. 4 Ne clerici vel monachi, et notarunt Innocentius, Panormitan. et alii, in cap. 4 de Obligatis ad ratiocinia; Sylvester, Maiolus et alii supra citati. Item licet administratio sit temporalis, si tamen ex causa necessaria ad pietatem pertinente suscipiatur, scilicet in favorem pauperum aut similibus miserabilium personarum, jam illud negotium non est mere seculare, neque alienum ab statu clericali, et ita simul cum priori conjungitur, in cap. 4, 21, quæst. 3, et in cap. ult., 86 dist., et in cap. 4, 88 dist. Hoc autem maxime verum est, si accedat Episcopi licentia aut talis necessitas, quæ ex vi alicujus legis obligationem inducat, ut in eisdem juribus significatur, et notavit Sylvester, et alii auctores. Qui maxime hoc explicant in administratione seu officio tutoris; nam per se quidem prohibitus est clericis, ut patet ex tota quæst. 3, caus. 24, et ideo expresse numeratur in dict. cap. de Oblig. ad ratioc.; nihilominus tamen ex causa pietatis suscipi potest a clerico, et non impedit usum Ordinum. Et eadem ratione non impedit Ordinis susceptionem, si iudicio Episcopi pia administratio iudicatur. Cætera de his personis obligatis ad hæc ministeria videri possunt latissime in Maiolo, dicto c. 5.

48. *Resolvitur dubium quoad posteriorem obligationem.* — At vero, si hujusmodi personæ officium dimittant et obligatione liberentur, vel quia lapsu temporis finita est, vel ex conventionem partium, vel ex facultate superioris, jam tunc ex hac parte tollitur irregularitas, ut in superioribus dictum est. Dico autem, ex hac parte, quia oportebit advertere ne ex alio capite orta sit, vel propter effusionem sanguinis, vel propter aliquam infamiam, ut supra notatum est. Quod vero ad præsentem irregularitatem magis pertinet, relinquatur adhuc consideranda altera obligatio ad ratio-

cinia reddenda; nam, si hæc manet ex priori ministerio, adhuc permanet irregularitas, ut constat ex dicto cap. unic. de Obligatis ad ratiocinia, ibi: *Post deposita onera et reddita ratiocinia*; utrumque ergo compleri debet, ut hæc irregularitas cesset. Et in hoc etiam omnes Doctores conveniunt, quia est sufficienter in dicto jure expressa, et quia ratio et fundamentum hujus irregularitatis in eis permanet, quamdiu rationem sui muneris non dederunt, quia semper manent obligati ratiocinio, et consequenter implicati negotiis secularibus, et expositi, ut possint a iudicibus secularibus cogi et infamari, si fortasse dolus aut fraus in ratiociniis inveniatur. Quæ ratio ac decisio locum habet, sive ratiocinia sint pecuniarum, sive de justitia servata in ipsis actionibus ad tale munus pertinentibus.

49. *An resolutio data de omni obligatione ad ratiocinia procedat.* — *Resolutio.* — Difficultas vero est, an hoc habeat locum in omni administratione, et obligatione ad ratiocinia, quæ ex illa resultat. Multi enim distinguendum putant de administratione vel publica, id est, bonorum reipublicæ, vel privata, id est, circa privatam personam vel bona ejus. Nam in priori casu dicunt procedere regulam positam indistincte; in posteriori autem putant, deposito munere, etiam si quis maneat obligatus ad ratiocinia, posse ordinari, nisi dolus aut fraus ei objiciatur. Ita distinguit Glossa, verb. *Ratiocinia*, dict. cap. 4 unic. de Obligatis ad ratiocin., quam ibi sequuntur Abbas et alii communiter, ut patet ex citatis auctoribus, et favet cap. unic., dist. 53, ubi solum fit mentio eorum, qui rationibus publicis reddendis sunt obligati. Mihi tamen aliter occurrit dicendum esse, considerata decisione dict. cap. de Obligatis ad ratiocinia. Aut enim administratio talis est, ut illa retenta, seu obligatione ad illam, persona maneat irregularis, vel non. Quando administratio ipsa retenta non inducit irregularitatem, obligatio etiam ad ratiocinia, quæ ex illa, sive retenta, sive deposita resultat, non inducet irregularitatem, sive ratiocinia sint publica, sive privata, ut si fuit œconomus Ecclesiæ, vel si fuit tutor ex causa pietatis. Et ratio est, quia accessorium sequitur principale, induitque rationem illius; hic autem administratio et obligatio ad illam principalis est, reliqua obligatio ad ratiocinia est accessoria et resultans ex altera, et ideo nec censetur magis temporalis aut secularis quam illa, nec perseverans aut durans potest magis